



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **ROMANORUM PONTIFICUM** TEMPLUM PAROECIALE  
SANCTI ANTONII DE PADOVA, QUOD  
IN URBE «RYBNIK» INTRA FINES ARCHIDIOECESIS KATOVICENSES EXSTAT,  
AD BASILICAE MINORIS GRADUM DIGNITATEMQUE EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Romanorum  
Pontificum Decessorum Nostrorum haerentes vestigiis, singularibus quidem titulis ac privilegiis honestare solemus  
praeclara tempa, quae in catholico orbe ceteris antecellunt. Inter haec optimo iure recensendum esse videtur templum  
paroeciale Sancti Antonii de Padova, quod exstat in «Rybnik», antiqua Poloniae urbe industriis carbonis nota et intra  
fines archidioecesis Katovicensis posita. Insuper probe novimus fideles loci finitimarumque terrarum regionis Silesiae, qui  
Sanctum Patavinum suum habent Patronum, frequentare eandem ecclesiam, pulcherrimum monumentum structurae  
genere novo Gothicō aedificatum atque centrum religiosae vitae civitatis necnon operum caritatis et christianaē culturae.  
Qua re, cum Venerabilis Frater Damianus Zimon, Archiepiscopus Metropolita Katovicensis, litteris die VII mensis Ianuarii  
hoc anno datis, etiam cleri populi sui nomine petiverit ut idem templum titulo ac dignitate Basilicae Minoris  
exornaremus, Nos, paternae benevolentiae signum tam caris filiis cupientes praebere, eius dignissimi Pastoris precibus  
perquam libenter obsecundandum esse putamus. E sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina  
Sacramentorum, quam ratam habemus, summa Apostolica potestate, harum litterarum virtute perpetuumque in modum  
templum paroeciale, de quo mentionem fecimus, titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoramus, omnibus factis iuribus et  
liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competit, iis tamen servatis, quae secundum  
Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Has denique  
Litteras Nostras sive nunc sive in posterum ratas esse foreque volumus, contrarii quibuslibet rebus minime  
obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis Iunii, anno MCMXCIII,*  
*Pontificatus Nostri quinto decimo.* ANGELUS card. SODANO  
Secretaries Status © Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana

---